



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ. Opus ...**

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum  
Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In  
Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et  
Excessvs Amoris ...

**Rodt, Franz Joseph von**

**Campoduni, 1680**

Mem. De excelso misit ignem in ossibus meis, erudivit me. Thr. 1. v. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52659)



# DISCURSUS XXV.

Mem.

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudit me. *Thren. I. v. 13.*

## DE ECCLESIA.

*Ex mala Pastorum vita, non est rejicienda bona eorum doctrina.*

**I**N varia significatione, ad bonum, & malum, accipitur ignis; unde Hugo Cardinalis præsentē Scripturæ passum, intelligit imprimis de igne tribulationis. quem Deus quandoque immittit Ecclesiæ, aut animæ peccatrici, ut per hunc ignem eam non tantum purificet, quàm erudiat, & de hoc inferius.

Aliter idem Auctor exponit in bonum; de excelso misit ignem, Spiritum sanctum, vel ignem amoris, in ossibus meis, id est, in doctoribus, principibus, Vel (ait ipse) ossa Ecclesiæ sunt Clerici (idem de Religiosis intellige) quæ ossa debent esse candida per innocentiam generatim, fortia per patientiam, latentia per intentionem rectam, medullata per orationem devotam. Per

ossa ista, igne sancti Spiritus, & amoris accensa, eruditur, & instruitur Ecclesia, & fideles doctrinam veram, intemeratam, & orthodoxam ab illis accipiunt.

Advertant autem, cum Hugenone, Acatholici, quòd ignis vitæ, aliquando, non est de excelso, sed de infimo, ignis scilicet luxuriæ, ignis avaritiæ, quo igne si quandoque ossa aliqua succendantur, magnū inde non solum concipiunt scandalum, ex parte, ad corruptionem totius, argumentantes, sed etiam ex mala, & corrupta Ministrorū vita & moribus, ad malam etiam argumentantur doctrinam, negantes, sanam doctrinam fideles ab ijs erudiri posse, qui igne minus puro, terrenorum desideriorum accensi, inculpatos non habent mores. Adhuc ergo

CCX

ergo



ergo conceptum Hetherodoxorum errorem refutandum, in presenti demonstrabo, nequam ex malis Pastorum, aut verbi Dei Disseminatorum moribus, esse sanam eorum rejiciendam doctrinam.

II. Ad hostium insultus repellendos necessaria omnino sunt arma, ex duro ferri metallo, ad ignem malleo, super incudem, fabricata, quare in ordinata republica de fabris ferrarijs armorum fabricandorum peritis, provideri solet, quibus deficientibus, vix defendenda patria, & repellendi hostis spes esse potest. Unde extirpandis Hebraeis hoc subtili stratagemate usi sunt Philistaei, ut fabros ferrarios ipsis subducerent; Porro

1. Reg. 13.  
v. 19.

*Faber Ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel; caverant enim Philistini, ne forte facerent Hebraei gladium, aut lanceam. Eodem contra Ecclesiam militantem stratagemate utuntur hostes maligni, Dæmones enim (uti glossa moralis notat) student ad hoc, quod fabricatores armorum spiritualium tollantur de terra fidelium; hujusmodi vero fabri, sunt Doctores, & prædicatores, qui contra dæmonum insultus, fideles armant suis sanctis exhortationibus, propter quod illi, qui eos impediunt in tam bono actu, ministri sunt dæmonum in hoc casu.*

Magno Ecclesiam militantem impetu agressuri præterito sa-

culo hostes maligni, per novarum hæresum doctrinas, maxime præoccupando cavebant, ne inter Catholicos fierent gladij, & lanceæ, arma scilicet spiritualia, & ne acueretur gladius Verbi Dei; unde & contigit, quod infelici eo tempore, vix inveniretur in istis regionibus nostris expertus Faber ferrarius, qui spiritualia arma, gladium Verbi Dei, lanceas penetrantes controversificæ doctrinæ fabricaret, contra novos exurgentes sectarios, qui intenderunt arcum, & paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Hinc tam magna facta animarum strages, & multi in captivitatem hæresum abducti populi.

Defectus  
fabrorum

Præterito  
faculo.

Psal. 10.  
v. 2.

III.

Danno suo sapientior effecta Ecclesia militans, de fabris ferrarijs sibi melius providere cœpit, de Doctoribus scilicet, & prædicatoribus; nam faber ferrarius (ait Hugo) est prædicator vel Doctor, qui operatur in igne, vel malleo super incudem, id est in verbis sacre scripturæ, quæ sunt ignis & malleus. Imo Prædicatores, & Doctores (docet idem Expositor) sunt etiam malleus, quia duriciam cordium frangunt, & emolliunt ad compunctionem.

Hugo  
Card. hie.

Modo  
abundant  
fabri.  
Prædicatores.

Hos malleos, hos fabros, (qui jam magna ex doctrinis & argumentis suis contra hæreses fabricatis erexerunt armaria) hor-

Fabri armis defendendis necessari.

Fabri Doctores & Prædicatores.

Glossa moralis.



horrent nostri Novellantes, & torvis respiciunt oculis, jam gravibus contusi verberibus, & magnis notati cicatricibus, cum ergo infringere ipsa arma, & malleos solida doctrina conterere nesciant, contra ipsam fabricantium insurgunt, & excipiunt subinde vitam; & illud nobis Hugonis Cardinalis objiciunt, quod apud nos Catholicos, multi sunt Doctores, & Prædicatores, sed pauci fabri ferrarii, qui pauci sunt, qui ob studium, & amorem Verbi Dei, sustineant ardorem, aut laborem, ut fabri ferrarius facit. Non pauci ab adversariis nostris conspiciuntur ejusmodi fabri, qui habitu modesto, honesto, & moderato non contenti, non sacerdotaliter, aut clericaliter, sed magis sæculariter & aulicè incedunt, compti, & phalerati, argento & auro in apparatibus suis splendidi, & plus aurum quàm ferrum tractantes non fabri ferrarii, sed aurifabri apparent; accidit quod subinde non ad ignem amoris divini, sed terrenum potius ignem, & minus purum adusti cernuntur. Hos ergo linceis observat oculis sectarii, & non tantum Germaniam nostram, sed etiam Galliam, & Italiam peragrantes, maximum, in hoc studium ponunt, ut inveniant in Fabris, Doctores, & Prædicatoribus fuliginem, quæ minus statum, &

honestatem eorum decet, ex horum defectu, doctrinam eorum impugnaturi.

Sed quid hæc ad illos? Nunquid miles adversarij vestes, incessum, aut vitæ observat honestatem, aut apparatus? non: sed arma tantum hostiū observanda curat; si bona hæc, si limata, si penetrantia, & formidanda sint, jam satis habet, quod timeat; his enim vulneratus, & prostratus, frustra contra hostis provocat incessum, & mores: de armis enim non de habitu agitur in hostili congressu: arma, & doctrinam respiciat, & dijudicet homo; habitus virtutum, & vitæ bonitatem Deus sibi in Sacerdotibus, Doctores, & Prædicatoribus dijudicandam reservavit.

IV.  
Inter alia sacerdotalis vestimenti ornamenta, præcepit etiam Deus, *pones autem in rationali iudicii doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron: & hoc idem (ait Interlinearis) ut studeat Sacerdos doctrinam, & veritatem inquirere, & docere.* Sed nunquid non minus Sacerdotem decet bonitas, & puritas, quàm Doctrina, & Veritas? cur ergo in pectore Sacerdotis, non etiam bonitas & pietas scripta, & populo legenda, & inspicienda fuit exposita? nempe bonitatem & puritatem Sacerdotis, solus inspiciendam sibi reser-

Arma, non incessus, hostiū spectanda.

Exod. c. 13. v. 30

Glos. Interl.

In Sacerdote necessaria doctrina, & veritas.

Cc;

ser.

Hugo Card. ibidem.

Sed nolunt sine dave.

Ad verum ignem.

Plures Aurifabri, quàm ferrarii.



fervavit, scrutator cordium Deus, à quo homines solam Doctorum, & Sacerdotum doctrinam, & veritatem attendere jubenter, & sequi.

Hoc Judæis insinuare volebat Dei Filius, bonam commendans in Pharisæis doctrinam, sed mala reprehendens opera;

*Matt. c. 23. v. 1.* *super Cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi; super Cathedram,*

*Glossa Interl.* *id est, doctrinam, quam docuit Moyses (exponit Interlinearis) sederunt scribæ, & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis, ad*

*Doctrina non vitanda* *Cathedram pertinentia, servato & facite; secundum opera vero eorum, nolite facere: nempe (addit Interlinearis) doctrinam tenete, non*

*Glossa moralis* *vitam, Quod idem Lyranus in glossa morali confirmat: hoc generaliter intelligendum est de omnibus bene docentibus, & male viventibus; nam eorum doctrina debet acceptari, & vita repudiari. Adeoque hoc loco expressè colligitur, malam vitam non semper præjudicare bonæ doctrinæ, ut bene notat Chrysostomus: Fre-*

*3. Chrysoft super Matt. in catena 5. Tomæ, citatus.* *quenter enim de homine malo, bona doctrina procedit, sicut autem aurum de terra eligitur, & terra relinqu-*

*Sape de malo homine, bona doctrina.* *tur, sic & auditores doctrinam accipiant, & mores relinquunt, ait Chrysostomus. Huc facit illud Augustini: Botrum cape, spiritum cave, sic & apes in horto circumvolitantes, nocivas herbas relinquunt; floribus insi-*

*S. Aug. tract. 45. in Ioan.* *dent, & mella colligunt; hoc illis verbis voluit insinuare Chrysost. de Doctoribus minus probis; doctrinam accipiant, & mores relinquunt, nec enim propter malos docentium mores, relinquenda, & rejicienda est bona, & salubris doctrina.*

dent, & mella colligunt; hoc illis verbis voluit insinuare Chrysost. de Doctoribus minus probis; doctrinam accipiant, & mores relinquunt, nec enim propter malos docentium mores, relinquenda, & rejicienda est bona, & salubris doctrina.

Cum Deus ob malitiam hominum, maximè autem impij regis Achab, ad instantiam Elia clausisset cælum, ut nec ros nec pluvia descenderet, iussit ipsum Prophetam in eremum secedere, & se abscondere in torrente Caruh, qui est contra Iordanem; & ibi de torrente bibes, corvisque præcepi, ut pasciant te ibi. Paruit divino mandato, Prophetam, nec promissis suis defuit Deus. Corvi deserebant ei panem & carnes.

Miratur seraphicus meus Bonaventura, hunc panis & carnis ministrum: mirabile quod panem per corvum ministrabat Dominus, non per hominem? vel si hominem huic ministerio deputare volebat Deus, cur non saltem columbam, aut aliam puritatis amantem avem Prophetæ ministerio designavit? nempe mirabile hoc fuit, respondet seraphicus, sicut mirabile est, quod Corpus suum per Sacerdotes ministrat, & mirabilius, quod per corvos, propter vitiorum nigredinem forte significatur. Sicut enim inter Sacerdotes multa inveniuntur puræ, & castæ columbæ, sic quandoq; etiam

V.

5. Reg. 17. v. 13.

Elias à Corvo pascitur.

S. Bonav. serm. 5. in cena Domini.

Corvus, malus pascitur.

Sacramenta administrantur.



am niger invenitur corvus, quē tamen etiam ab administratione Sacramentorum non rejicit Deus, nec etiam homo eum (corvum) rejicere, & spem suam in homine ponere præsumat, cujus cor videre non potest. Noluit enim Deus, vel disseminandi Verbi Dei veritatem & doctrinam, vel Sacramentorum valorem bonitati Sacerdotis alligare, de qua securus nemo esse potest. In Domino ergo, non in Ministro Verbi Dei, & Sacramentorum, confidendum, quæ non ex opere operantis, sed ex opere operato valorem, & efficaciam suam habent. In Domino ergo confido, cum regio Propheta. Notat autem Augustinus hinc: non enim confidunt in Domino, qui tunc dicunt sancta Sacramenta, si per sanctos homines dentur. Hoc enim supposito requisito, quis de Sacramenti ministro, an corvus an columba sit, dubitans, interpellare eum cogeretur, & scrupulosam quæstionem movere: quod si non es sanctus? ostende cor tuum; quod si non potes? ubi videbo, quod sanctus es? concludit Augustinus. Ubi cognoscam, an corvus, an columba sis? corvum ergo latorem panis & carnis, Eliæ Deus constituit, nec corvum à Verbi Dei, & Sacramentorum ministerio exclusit, ut dubitandi, de valore Sacramen-

ti ratio, & de ministri bonitate judicandi occasio penitus abscinderetur, & debitus semper (non attentâ personæ bonitate, aut pravitate) potestati & officio honor præstaretur. Monet optimè Chrysostomus; *subditi propter bonos Sacerdotes, etiam malos honorent; ne propter malos, boni etiam contemnantur. Melius est enim malu injusta præstare, quam bonis iusta subtrahere.* Quamvis etiam malo Sacerdoti exhibendo honorem, & reverentiam, non injusta præstentur, uti & Seraphicus Pater id testamento nobis reliquit, suo exemplo nos instruens, & se declarans: *Et ipsos (scilicet Sacerdotes) volo timere, amare, & honorare, sicut meos Dominos, & nolo in ipsis confidere peccatum, quia Filium Dei discerno in eis, & Domini mei sunt.* Iustè ergo etiam malis & injustis honor debetur, etiamsi malè præsent. Econtra verò juxta Apostoli mandatum, *qui bene præsent Presbyteri (id est vita & doctrina, ait glossa) duplici honore digni habeantur.* Siquidem ergo illi, qui bene, vitâ & doctrinâ præsent, duplici, ergo saltem simplici honore digni habeantur illi, qui, licet non vitâ, tamē doctrinâ benè præsent. Hinc omnia quæcunque dixerint vobis, ad cathedram, & doctrinam pertinentia, servate & facite: doctrinam accipite, mo-

res

Psal. 10.  
v. 10  
S. August.  
hic.

Sacramenta  
non sunt  
sancta, si  
à sanctis  
admini-  
strantur.

VI.

S. Chry-  
sost. cit.Mali  
propter  
bonos ho-  
norandi.Honor  
etiam ma-  
lic Sacer-  
dotibus  
debetur.1. Timet.  
5. v. 17.



res relinquite, frequenter enim de homine malo, bona doctrina procedit.

*Ecclesi. 38.  
v. 1.*

*Hugo  
Card. hic.*

*Medicus  
honoran-  
dus.*

*Licet sibi  
ipsi non sit  
proficius:*

*Medicina  
à Deo non  
à bonitate  
medici  
habet effi-  
caciã.*

Mandat Ecclesiasticus, hono-  
ra medicum propter necessitatem,  
nempe Medicum corporalem, &  
spiritualem, ait Hugo, propter  
necessitatem corporis, & animæ:  
etenim illum creavit altissimus, ad  
aliorum utilitatem. Imò & quanto  
pretiosior est anima corpore, tanto  
Medicus spiritualis magis honoran-  
dus est, medico corporali, uti bene  
Hugo arguit. Multa præscribit  
ægro medicus, venæ sectiones,  
amaras poriones, strictas diæ-  
tas, quas tamen ipse Medicus,  
eodem fortè, vel graviori ma-  
lo decumbens non observat, ut  
meritò ipsi objici possit, *medice  
cura te ipsum;* hæc tamen dissolu-  
tio medici parum mover ægro-  
tum, quin ejus sequatur consi-  
lia, præscripta applicet medica-  
menta, & medicum honoret,  
plùs alienæ, quàm propriæ sa-  
nitatis, & vitæ studiosum. Sic  
interdù spirituales medici multa  
infirmis suis ovculis me-  
dicinas præscribunt, mortifica-  
tiones imponunt, jejunia præ-  
dicant, excessus in potu sanctè  
inhibent, interim salutis suæ in-  
curri, media alijs præscripta  
negligunt, excessus vitæ ipsi  
committunt; miseri medici, si-  
cut commiseratione digni, sic  
honore suo non indigni, non  
enim æger in medico vitæ ra-

tionem, & propriæ salutis stu-  
dium, sed artem illi à Deo con-  
cessam veneratur; etenim illum  
creavit altissimus; à Deo est enim me-  
dela, ait Ecclesiasticus. A Deo  
autem cum sit medela, & medi-  
cina Sacramentorum, & verbi  
Dei, & non à manibus spiritua-  
lis medici, hinc est, quòd effi-  
caciã non à bonitate vel san-  
ctitate medici, sed in, & ex se-  
ipsa (per efficaciam ipsi à Deo  
inditam) verbum Dei, & Sa-  
cramenta curandi habent virtu-  
tem

Verùm quidem est, quòd  
subinde zelus, & dexteritas me-  
dici, Sacerdotis, aut Prædica-  
toris multum etiam conferant  
ægro, non quòd efficaciam ad-  
dat medicinæ illi costi, sed  
quòd agrum melius ad recipi-  
endam disponat medicinam; ne-  
que ægri interest inquirere, an  
etiam medicus, suas patiens in-  
firmitates, & ipse ad medicinam  
sit per bonitatem dispositus,  
nam dispositio interna medici,  
nil ægro confert ad sanitatem,  
sed tantum doctrina & veritas,  
qua medicinam applicare ægro,  
& sincerè istius procurare sa-  
nitatem noverit.

Interim negare non possum  
miserum, imò stolidum illum  
esse Medicum, qui de aliorum  
salute sollicitus, suam non cu-  
rat, & doctrinas alijs traditas,  
ac regulas præscriptas ipse ne-  
gli-

VII.

*Dexteri-  
tas medi-  
ci mul-  
tum va-  
let.*

*Miser-  
marius  
suis incura-  
bilis.*



S. Thom.  
in Catena  
Math.

gligit, **cujus exemplum** agri-  
mitantes salutem consequi ne-  
queunt, non imitantes conse-  
quuntur. Quod probè ad pro-  
positum nostrum observat An-  
gelicus: *Quid est autem Doctore illo  
miserabilis, cuius vitã discipuli cum  
non sequuntur, salvantur, cum imi-  
tantur, perduntur?* Secundum o-  
pera eorum nolite facere.

Invenio  
medicos  
hæretici  
respicunt  
& spernunt

Tales miserabiles medicos,  
Prælatos, & Doctores cum  
quandoque nutriat Ecclesia, eos  
acutis & malevolis Novellan-  
tes nostri perscrutantur oculis,  
& illud tritum jactant: *Qui sibi  
nequam, cui bonus?* Et ob quo-  
rundam malitiam, aliorum bo-  
nitatem aestimare negligentes,  
& doctrinam, & veritatem  
nostram Catholicam contem-  
nunt. Optimè de istis illud  
Augustini dici potest: *Dic, quid  
isti faciunt, cum illis commemoran-  
tur tam innumerabilia, & quotidiana  
peccata, & scelera eorum, qui-  
bus plena est illa societas?* Maximè  
autem ipsi, sectarum illarum,  
auctores, & inventores, Lu-  
therus, Calvinus Lilio ob ne-  
fandum delictum stigmatiza-  
tus. Et tamen uterque cum suis  
affecit Ecclesiam Dei reforma-  
re & ministorum defectus, &  
bonitatem dijudicare, & ex bo-  
nitatis defectu, doctrinam, &  
veritatem rejicere præsum-  
psit, & arguere.

S. August.  
in psal. 10

Nunquid  
ipsi melio-  
res?

VIII.

Nunquid meritò illud ater-  
P. Franc. Josephi Op. 1 V.

næ Veritatis effatum utriq; ob-  
jicitur: *quid vides festucam in o-  
culo fratris tui, & trabem in oculo  
tuo non vides? Sicut hydropicus  
(scribit in hunc passum Hugo  
Cardinalis) corripit eum, cui di-  
gitus tumet, & ipse sui ventris im-  
memor est. Erubescant digiti  
tumorem arguere, illi, quorum  
Deus venter est, ebrietatibus,  
& luxuriis, ambitionibus in-  
flatus, & tumidus. Et tamen  
hi curare languentem conaban-  
tur Ecclesiam, & abstergere  
sordes in pedibus ejus. Egre-  
giè horum temeritati obviavit  
Gregorius: *Superiectas sordes (in-  
quiens) manus tergere non valent,  
quæ lutum tenent. Luto utiq;  
& immunditiã plena erant eo-  
rum manus, quas prius munda-  
re convenerat & calido pœni-  
tentiæ lixivio lavare, ante-  
quam eas mundandis Ecclesiæ  
pedibus, Doctoribus, & Præla-  
tis applicare præsumerent.**

Math. 2.  
7. v. 3.

Hugo  
Card. hic.

Hydropi-  
cus arguit  
tumen-  
tem digi-  
tum.

S. Greg. a-  
pud eund.  
Sordidæ  
manibus  
nos lava-  
re volunt.

Siquidem autem etiam in  
Ecclesiæ Ministris, & Docto-  
ribus læbes, & sordes terrena-  
rum, aut carnalium cupidita-  
tum inveniantur, saltem hoc  
in ipsis meritò commendatur,  
quòd vitæ suæ doctrinam non  
accommodent, sed inter corrup-  
tæ vitæ mores, incorruptam  
servent doctrinam, qua alios  
saltem commonent, ne secun-  
dum opera ipsorum faciant.

Nostri, sal-  
tem mala  
vita non  
conformæ  
dum doctrinæ.

D.d.

dum doctrinæ.



dum prima sectarum suarum fundamenta jecerunt, ne quis de vita sua impura scandalum fumeret, vitæ & moribus etiam doctrinam adaptarunt, liberam Religiosis votorum rupturam, & jugi Dominici excussionem non tam permit- tendo, imò & cogendo. Hæc ergo est inter Catholicos, & Aacatholicos verbi Dei mini- stros immorigeros differentia, quòd Catholici, dicunt, non faciunt: Dicunt faciendum bo- num, & non faciunt bonum, sed malum. Aacatholici, di- cunt & faciunt: faciunt malum, & illud faciendum dicunt & docent: duplici irretiti malo, vitæ & doctrinæ.

Erubescunt quidem moder- ni Aacatholici fundatorum suo- rum lutosam vitam, & doctri- nam, qui *parietem linebant luto absque patet.* Quare superædi- ficare fabricam honestius appa- rentem studuerunt, lateres ceci- derunt, sed *quadris lapidibus ædifi- cabimus.* Sed superædificent, quantum volent, tamen non efficient, quin prima adhuc vi- deantur fabricæ fundamenta; quod si & hæc (uti & de nomi- ne fecerunt, ex Calvinistis, Lutheranis, Zvvinglianis se Evangelicos nominando) e- ruere, & unà cum Lutheri, & Calvini, aut Zvvinglij nomi- ne, etiam fundamenta doctri-

næ evertere conentur, ubi uni- tatem fidei, & continuatam fi- dei in eorum Ecclesia unitatem & conformitatem conserva- bunt, si luto lateres, lateribus lapides quadros annuatim, sub- stituere pergant?

Quod porrò Aacatholici mi- nistri subinde melius vitæ ho- nestatem (quàm primi ipso- rum fundatores fecerant) sal- tem secundum externam spe- ciem observare ex sæcularis potestatis terrore, studeant, hoc nihil bonitati doctrinæ tri- buit, sicut enim mala vita non præjudicat bonæ doctrinæ, & veritati, sic, bonitas moralis non emendat malitiam doctri- næ. Et pluris æstimandus, ma- lus (in moribus) medicus, qui bona ægro subministrat medi- camenta, quam bonus (in vi- ta morali) medicus, qui vene- natam malæ doctrinæ propinat medicinam.

Quæ cum ita sint, ex mala Pa- storum vita nullatenus bonam ipsorum rejiciendam esse do- ctrinam constat; doctrinam accipi- ant, mores relinquunt, frequen- ter enim de malo homine, bona doctrina procedit, & licet de infimo aliquando impurus ig- nis in ossibus, Doctoribus, & Pastoribus Ecclesie, immixtus sit, per eos tamen Ecclesiam, & fideles erudiri nihil impedit; quamvis convenientius omni-

*Nostri di- cunt, & non faciunt.*

*illi male dicunt, & faciunt.*

*Ezech 13. v. 10.*

*Isa. c. 9. v. 10.*

*Moderni erubescunt suos heretichos.*

IX.

*Bonitas vitæ non servat nisi in bonâ doctrinâ.*

*Munditia decet Sa- cerdotes.*

no



no sit pura doctrina, etiam puram respondere vitam, & ut verbi minister, non corvus sit, sed columba.

(ut Hugo docet.) Sunt quasi sagittae parvulorum, id est, non multum penetrant, eo quod non sint fortes manibus, nec arcum sacra scriptura possunt tendere manibus, id est, operando. Isti debiles sunt sagittarii, & cutis diaboli dura est, & spissa, ut sagittae praedicationis, quae tales emittunt, non possint eam perforare. E contra sagittae potentis (illius scilicet, qui potens est opere & sermone) acutae sunt. Quare arcum studeamus potenter manibus, id est, opere, & sermone tendere, & sagittas tanquam indefessi Fabri ferrarii ad ignem divini amoris acueri, ut sic duritiam cordium peccatorum penetrare, & optatam filio Dei praedam, feras, & filios arietum offerre & praedam animarum maligno hosti ereptarum divites, caelestem patriam triumphaliter ingredi valeamus, Amen.

Prov. 21.  
v. 11.

Hugo  
Card.

An malus  
à docendo  
cessare de-  
beat?

Psal. 63.  
v. 8.

Hugo  
Card.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem; Salomone teste. Sed dubium movet Hugo Cardinalis. Sed nunquid qui non habet cordis munditiam, cessare debet à doctrina, & praedicatione veritatis? Respondeo, Si non sit notorius, & habet officium, non debet cessare; Unde Origenes: Nolo duplicari criminis esse reus, ut & bona non faciam, & bona, quae novi, taceam. Quamvis bona illa, à Praedicatorum segnius operante edocta, minus penetrant. Sagittae parvulorum factae sunt plaga eorum, ait psalmista, sed cum parvo effectu: Et infirmatae sunt contra eos linguae eorum. Quod de quibusdam praedicatoribus, qui dicunt & non faciunt, potest exponi sic,

Verba sine  
operibus

Sunt sagittae parvulorum.





✠

## DISCVRSVS XXVI.

*Mem.*

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me. *Thren. 1. v. 13.*

### DE ANIMA.

*Tribulatio est Schola, in qua boni à malis exercentur, & erudiuntur.*

1. **I**neruditi & rudes, ad scholas mittuntur erudiendi. tur populus in afflictione, & in igne tribulationis positus.
- Judai per tribulationem eruditi.* Rudes erant Hebræi, virtutis, & pietatis eruditione alieni. Hos ergo ad scholam ablegare, disciplinæ subijcere, & erudire necesse erat. Sed & eadem vox est Ecclesiæ, & animæ in sensu spirituali: Exclamat ergo partim ingemiscens, partim de eruditione sua sibi congratulans anima peccatrix, at pœnitens: De excelso misit ignem, id est, atrocissimam tribulationem (glossatur Seraphicus) in ossibus meis, id est, in intima mea, & erudivit me, id est, docuit me per adversitatem, quod in prosperitatis tempore capere nolum.
- S. Bonav. in Thren. hic.* Notat meus Doctor Seraphicus, hoc loco per ignem denotari vehementiam tribulationis, deinde eius utilitatem, in illis verbis, erudivit me. id est, extra ruditatem peccati posuit, exponit Tribulatio docet.
- Hugo Card.* Hugo: qui etiam ad literam hæc annectit verba: *Quia dicitur, quod post Babylonicam captivitatem, nunquam postea fuerunt Idolatra, &c. adeoque igne tribulationis erudivit me, fate-* at, quæ in omnibus scientiis discipulos suos eruditos, & exercitatos facit, unde & huic versui præponitur litera Mem, quod idem est, ac ex ipsis, quasi diceret, ex ipsis tribulationibus animam erudiri. Om-



II. Omnis homo scire desiderat, inditum quippe humano ingenio est curiosum sciendi desiderium, in antiquis quidem Philosophis ita immoderatum, ut non solum plerique eorum longinquas, discendi, & scientiam acquirendi gratiam, terras peragrarent, sed etiam Crates opes suas, sapientiam, & scientiam remoras, alto demerserit.

Homo sci-  
re deside-  
rat.

Philosophi  
subtiliter  
disputan-  
tes aberrant.

Quamvis autem nascuti illi Philosophi, ingenij sui acumine subtiles scientias, tanquam aranearum telas è cerebro suo produxerint, subtiliter defini- entes, dividentes, & disputa- ntes, nunquam tamen ita veritatis fundum penetrare potuerunt, quin in multos impingerent errores, in cognitione naturalium, sed in plures contra veritatem rerum divinarum, & supernaturalium.

Christus  
scholam  
exercit.

Ineruditos ergo, & rudes divina scientia mortales eruditura, Divina Sapiencia de cœlo descendit, quæ cathedram sibi elegit Crucem, & scholam suam, ac Gymnasium in monte Calvario constituit: Nec ullum exercitium virtutis & patientiam, nulla lectio quamvis dura, & aspera fuit, quam ipse discipulis suis non in actu exercito imitandam exhibuerit, discite à me, qui non tantum verbis, sed ipso opere, & laborum dura perpeffione vos doceo.

Mach. 11.

Subductus nobis, & in cœlum elevatus cœlestis ille Magister, alium discipulis suis promisit magistrum, sibi non inferiorem, scilicet spiritum paraclitum, ille vos docebit omnia: Misit ignem in ossibus meis, id est, spiritum sanctum, uti Hugo exponit, & erudit me. Sed suos etiam provisos supremus habet ille Magister, per quos rudes discipuli erudiantur, & eruditi exerceantur.

Successit  
illi Spiri-  
tus sanctus.

Qui ergo provisos illi, qui erudiendis, & exercendis justis, & veris Christi discipulis à Deo constituti sunt? Ipsi mali, ipsi impij in hoc mundo, ad erudiendos, & exercendos justos in schola tribulationis constituuntur, ad nullum nisi hoc solum officium mundo utiles. Perantiqua jam erat inter Sapientes quæstio: Quare impius vivit? Hanc (ut aliorum opiniones præteream) nervosè, & categoricè resolvit magnum Africa lumen Augustinus: Omnis malus aut idèd vivit, ut corrigatur; aut idèd vivit, ut per eum bonus exerceatur; Ad exercitium ergo, & servitium in schola tribulationis præstandum, justis mali destinantur.

Mali, sive  
provisos  
bonorum.

August.  
in pl. 84.

III.

Dum Rebecca gemello gravida, parvulos in utero collidi sentiret, anxia perrexit, ut consuleret Dominum, qui illi respondit, duas gentes, & populos utero ejus recludi, & ma-

Genes. 25.  
v. 23.



*Major ser-  
vior ser-  
vior ser-* viat mino-  
vi.

non quidem in  
persona propria, sed in po-  
steris, quia Idumæi posteri Esau,  
servierunt Jacobi posteri, scilicet  
Israëlitis. Observat

autem Cornelius à Lapide  
hic, quod tropologicè mali servi-  
unt bonis, quia sua persecutione, cru-  
cibus, & tormentis parant, & fa-  
bricant eis coronas eternas. Hoc

etiam innuit Hugo Cardinalis:

major serviet minori, quia cum  
persecutus est. Persequi igitur,  
tribulare, exercere, servire est.

Notat etiam præfatus Expositi-  
tor. Ecclesia concepit in die Pen-  
tecostes, quando recepit Spiritum  
sanctum. Non tamen omnes  
filij sunt Jacobi, sed multi in-  
ter eos inveniuntur Esau, id est,  
mali, persequentes; Persequen-  
tes, & simul servientes.

Quid ergo persequentes tor-  
vo aspicias vultu Christiane?

An nescis eos tibi esse servien-  
tes? Eos, qui tibi serviunt, am-  
plectere, fove, remunera; ser-  
viunt tibi persequentes te, ex-  
ercent, instruunt, & ad scho-  
lam, & disciplinam adducunt:  
Non ergo nos pudeat etiam à  
rudioribus, & magis indiscipli-  
natis doceri, & erudiri.

Induratis quibusdam Judæis,  
& maledicentibus viam Domi-  
ni, Paulus discedens ab eis, segre-  
gavit discipulos, quotidie disputans

in schola Tyranni cujusdam; Varij  
variè de hac Tyranni schola

exponunt, alij enim per Tyran-  
nam, aliquem potentem, alij frequen-  
tius nomen proprium viri sic apel-  
lati intelligunt. Sed quicquid

demum sit, planè in schola ty-  
ranni, non tam disputasse,  
quàm profecisse Paulum cer-  
tum est, cum toties à tyrannis  
& persecutoribus exercitatus,

in vinculis, & calamitatibus  
virtutum omnium magister ef-  
fectus est. In hac eadem scho-  
la Tyranni, omnes reliqui Dis-  
cipuli studuerunt, quamvis do-  
ctrina hæc valde sit ardua, &

corpori fastidiosa. Ad perfe-  
ctionem autem qui volet attrin-  
gere, huic se disciplinæ subij-  
ciat necesse est, quam etiam  
Regius Propheta cum magno  
sui profectu expertus est: Et

disciplina tua correxit me in finem, v. 36.

S. Augustinus legit: direxit me  
in finem, ad finem Christum, ex-  
ponit Hugo, qui est finis noster,

corona, & premium. Finis legis

Christus, & disciplina tua ipsa me

docebit. Doctrina tua, legit S. h. c.

Hieronymus & addit, necesse est,

dum sumus hic, sub doctrina esse. Hebr. 12.

Unde Paulus ait; Omnis doctrina,

(vulgata habet, disciplina) in

præsenti non videtur esse gaudij, sed

mærorum, unde sicut pueri scho-  
lam, & disciplinam, sic &

Christiani, hanc perfectionis  
scholam, disciplinam, & do-  
ctrinam naturali modo decli-  
nant, & horrent, quibus tamen

utili-

*Doni à ma-  
lis erudi-  
mentis.*

*Act. 19.  
v. 9.*

*Paulus  
Tyranni  
scholam*

*Discipli-  
na utilis.*



utilitatem futuram Paulus ob oculos ponit; sed postea in futurum reddit fructum plurimum, non tantum ratione futuræ remunerationis, sed etiam profectus spiritalis.

IV. Hæc schola, disciplina, seu tribulatio magnos facit Theologos, est enim Repertorium divinatorum, (ut ait Pacian. Episcopus Barcin.) & inventarium cognitionis Dei. Ab Augustino optimè intitulatur, disciplina, magistra Religionis, magistra veræ pietatis, quæ nec idè increpat, ut lædat, nec idè castigat, ut noceat.

apud Cron  
Prov. 3 v.  
13.  
Est magi-  
stra.

S. Thom.  
Villan  
Conc. de  
SS Quiri-  
ro & Iu-  
lia.

Sicut pel-  
lio, Deus  
excussit  
pulverem.

Solent Pelliones pelles à tineis infestatas, aut pulvere resperfas virgis aut baccellis excutere, unde bene pelli à pellione excusse, quidam hæc posuit inscriptionem: Excutiendo perficitur. Eadem ratione (uti affirmat S. Thomas de Villanova) Tribulatio hominem à vitii & concupiscentiis, & vanis sæculi desideriis purificat, & ab eo pulverem vanitatis excutit. Sicut enim vestes in apothecis inclusas, & à tineis corrosas, vel nimio pulvere resperfas aliquando virgâ percutimus, & ab eis vermes, & pulverem percutientes excutimus, sic Deus homines nimio luxu, & abundantia corruptos, illecebrosos appetitibus, veluti vermibus corrosos, vanitatis & cupiditatis pulvere sedatos, tribulationis virgâ excussa vanitate, & carnalibus desideriis extinctis, purificat.

Sustineret fortè lubens homo pellationem Deum, si virgâ tantum, & disciplinâ tribulationum ipsum excuteret; sed hoc molestum, & insupportabile videtur, quòd Deus aliquando non tantum virgas, sed fustes & grossos baculos pelli nostræ immittat, rudes scilicet, & incultos peccatores, qui sua persecutionum nodositate nimium nos torquent. Sed sive baculo sive virgâ utatur Deus, sustinere nos convenit, cum certisimur, quòd non percutiat, ut lædat, castigans castigavit me, & morti non tradidit me. Castigando non occidit, non lædit, sed tineas tantum, & pulverem nobis excutit Deus. Imò non exteriorem tantum pulverem & tineas, sed intus etiam purgat nos tribulatio: Sicut enim homo non exteriores tantum in moribus tineas, sed internos in cerebro, & animo etiam patitur vermes, à nullo facile medico expellendos, sic etiam eos expellere tribulatione satagit Deus, nam tribulationis acrimonia (asserit idem Archiepiscopus Valentinas) veluti absinthii poculo omnes animæ vermes, intus viscera eius corrodescentes, sua amaritudine insicit, & interficit. Qui ergo bonus evadere medicus desiderat, & solidam expellendi à se vermes scientiam addiscere, hanc cœlestis Hypocratis

Baculi  
peccatores

Psal. 117.  
De. v. 18.

Tribula-  
tione ver-  
mes expur-  
gantur.

cratis



Eccl. c. 7. v. 2.

cratis scholam, & Academiam frequenter, tribulationem sci- licet, nam melius est ire in domum luctus, quam ad domum convivii. docet Ecclesiastes, in hac nihil nisi quæ animæ sunt nociva hauriuntur, & addiscuntur, in illa autem homo veram addis- cet medicinã, & animæ suæ cu- randa artē: Et erudit me. Overè ars utilis & diu desiderata, qua vermes ejiciuntur ! Quamdiu hanc artem multi in clamabant, ecce hîc eam in compendio.

V.

Multi mali, & inexperti in- veniuntur Legistæ, & Juristæ, ita rudes, ut nullas Regulas Ju- ris teneant, multò minùs Justi- tiam sciant, quæ est constans, & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi, sed tantùm titulos sive justos sive injustos, ac juris pretextu coloratos que- rant acquirendi rerum domi- nij. Sit autem fortitudo nostra, Lex Justitiæ, id est, fortitudinem pro lege Justitiæ habeamus; Vel: Quicquid possumus, quasi licitè facia- mus, licet iniustum sit; Sic Hu- go Cardinalis. Istos ad do- mum luctus, ad scholam tribu- lationis instituendos mitti sua- det Regius Propheta: Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt. Hieronymus vertit, timorem. Chaldaeus terrorem; Nec sen- sus vulgata ab iis ablutit, con- stitue, inquit, Domine crude-

lem aliquem legislatorem, im- pone tyrannum eorum cervi- cibus, qui illos dura servitute premat, terrore coërceat, uti quidam modernus exponit, & demum in schola tyranni Justitiã addiscent, & reddere unicuiq; jus suum: Misi ignem in ossibus meis, & erudit me. Perverfi etiam, & rudes inveniuntur Logici, qui vitiosos syllogis- mos, & mala faciunt entime- mata, & sequelas absurdis- mas. Quot enim juvenes, & lascivi adolescentes ætatis suæ florem, & robur conside- rant, & inde concludunt; Eja ergo latere juvenis in adoles- centia tua; Venite ergo, & frua- mur bonis, quæ sunt, utamur crea- tura, tanquam in juventute celeriter. Non prætereat nos flos temporis. O vitiosa sequela! Ergo veni- te, exultemus Domino, servi- amus illi, dum vires suppetunt, in flore juventutis nostræ. Alij vitæ brevitate consideran- tes, inferunt: Ergo coronemus nos rosis antequam marcescant; Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Absurda hæc sequela est, quin potius ex illo antecedenti inferant: Ergo, dum tempus habemus, operemur bo- num; sic magistra docet disci- plina. Via ad cælum, ad beati- tudinem dura, & longa est: Ergo cum Elia prosternamus nos sub umbra juniperi; Sed

Logici ut vult.

Sap. 2. v. 6.


Malas faciunt sequelas.

Jurista do- sentur tri- bulatione.

Faciunt quod pos- sunt, non quod licet Sap. 2. v. 11.

Hugo Card.

Mal. 9. v. 21.





S. Thom. Villan. cit. tribulatio (ait Thomas de Villanova:) *expergeficit hominē à somno; pulsat latera, ad iter prosequendum; Surge; grandis enim tibi restat via.* Alij: *audita propositione ex Epistola S. Jacobi: Si quis offendit in uno, factus est omnium vrus, faciunt sequelam: Ergo si propter unicum peccatum damnari debeam, praestat vivere vitam Epicuream, fraxnum laxare cupiditatibus, & infernum splendide mereri. Sed talis baculo & virga disciplina castigatus, aliam discit formare salubriorē sequelam: Ergo, si in uno tantum offendam, etiam hunc errorem corrigam, ut plenē mandata Dei observem. Absurdissimas sequelas formant haeretici: Christus passus est, pronobis: Ergo nos, pati, & operari bene, desinamus. Quae haec absurda sequela? Nonne melius concluditur; Si Christus passus est, ergo nos sequamur ejus vestigia, insistamus milites ducis exemplum, egrediamur ad eum extra castra, &c. Vident alij prosperitatem proximi, splendorē virtutum, &c. jam invident, & lucernam domini intueri non possunt, antequam extingatur: ergo opprimamus illum, persequamur, &c. Imò verò, ergo imitemur virtutem, Deum de collatis illi donis laudemus, ut ejus meritis.*

P. Franc. Josephi Op. IV.

torum fiamus participes. Hanc sequelam veram, & irrefragabilem in schola tribulationis addiscimus, *Castigasti me Domine, & eruditus sum, sicut juvenculus indomitus. Eruditus sum, (ait Hugo) Sicut bonus discipulus.* Ille, qui Ludimagistra vanitatis mundi, operam navat, semper vanas format conclusiones; Ergo honores, ergo voluptates, ergo divitias venabor, &c. Sed cum illum Deus à ludo vanitatis, ad scholam tyranni, disciplinae, per infirmitatem, per persecutionem, per amicorum, & Patronorum subtractionem vocat, jam melius concludit: *Ergo nolite considerare in hominibus, in quibus non est salus. Psal. 145.* Ergo, *Filii hominum usquequo grati corde, ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium? Usquequo parvuli diligitis infantiam? Ergo alia incipienda dialectica; alia figura, & modus argumentandi addiscendus. Optimum se discipulum, & Logicum ille se exhibuit, qui agnitae mundi vanitati nuncio remittens, ac soli Deo se mancipaturus, his mundo fugati versibus valefecit.*

*Linguo coax vanis, erat Corvis, vanaque vanis. Sequela; Ergo mortuus.*

Tremendum ergo, est Mbr-

Ee: tis:

Etudien- di in Aca- demia tri- bulationis

Jeremi 37. v. 18.

Hugo Cardini. V. l.

Vanitatis sectatores

Psal. 145.

v. 2.

Psal. 4.

v. 3.

Prov. 1.

v. 22.



tis Ergo, & conclusio. Vivimus? Ergo moriemur; moriemur? Ergo vanitas vanitatum, & omnia vanitas; Moriemur? Ergo sistemur ad iudicium rigidissimum divini iudicis. Moriemur? Ergo vel ad æternam beatitudinem, vel æternam damnationem. Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum.

Tribulationis in solâ, hæc Logica discitur scholâ.

Ha. 28.  
v. 19.

Sola vexatio intellectum dabit. Misit ignem in ossibus meis, & erudit me.

VII.

Sunt alij, qui in ipsis hærent studiorum principiis, puerulis prima literarum elementa addiscentibus proponuntur agnoscendi, & nominandi Alphabeti characteres; successivè ordine Alphabetico præscribuntur legenda nomina, in quorum capite ordinariè ponitur, Anfang / quod est ab initio. Quod autem, prima Sapientie elementa addiscentibus, hoc est initium: *Initium Sapientie timor Domini.* Hoc Principium, Initium, & Elementum Sapientie, nusquam melius, quàm in tribulationis schola addiscitur. *Disciplina tua ipsa mi docebit.*

Mali Principia.

Psal. 102.  
v. 9.

Mali gratia.

Grammatici inter Christianos æquè apparent vitiosi, qui nesciunt declinare malos mores, & occasiones, faciunt solacium enormes & barbaris.

mos, verba blasphemia, obscœna, effutiendo. Humanistæ pedes nimium ad amorem illicitum alligant, quantitates in vestium luxu transgrediuntur, hi omnes ad scholam Tyranni, ad scholam tribulationis mittendi, facillè erudientur, *castigasti me Domine, & eruditus sum: Misit ignem in ossibus meis, & erudit me.*

Denique siccos, & ineloquentes, indiserptos Ecclesia nutrit Rhetores, qui in oratione apud Deum peroraturi, tertio mox hærent verbo, neq; quid amplius per unam horam orationis, sub uno sacrificio perorare ad Deum aut possint, aut debeant, sciunt, infacundi, & pene muti. Sed mitte eos in scholam tribulationis, jam perorare eloquenter, jam efficaciter dicere, jam ardentè clamare discant.

Infacundus, & languidus in orando, & perorando David, *Ita David celestem hanc Rhetoricam probè in tribulationis schola didicit. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi: Cum tribularer, linguas adversarium, & injuriarum persequentium (glossatur Hugo) clamavi corde, ut Susanna.*

Cum enim hæc, licet insons, accusaretur, *stans suspexit ad caelum, erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Latâ autem jam in eam iniquâ per populum senten-

Infacundi  
d. Rhetores,

Discunt  
orara

Psal. 102.  
v. 9.

Hugo  
Card. h. 10

Dan. c. 13  
v. 35.



*Et a Susanna* Sententiã, exclamavit voce magna Susanna, & dixit: Deus aeternus, qui absconditorum es cognitor, &c. Notat hic Cornelius; *Cornelius hic.* Non legimus Susannam unquam tam ardentem ad Deum preces emisisse, nec vehementer ad cælum suspexisse, quàm cum se vidit in extremis hinc angustiis. Et concludit: Ita tribulatio docet orare efficaciter. Ecce quomodo disertos, arduos, & extemporales Rhetores facit schola tribulationis. Misit ignem in ossibus meis, & erudit me. Sic etiam in cœlesti hac Rhetorica eruditi Israëlita, *Psal. 105. v. 6.* clamaverunt ad Dominum cum tribularentur.

VIII. Sit autem schola, & Academia quantumvis famosa, Professores qualitercunque etiam eruditi, si tamen capacitas subiecti in discipulo desit, parum labore suo Professores proficiunt: Quicquid enim recipitur, per modum recipientis recipitur. Unde, sicut non ex quovis ligno fit Mercurius, sic nec de Asinis fiunt Doctores. Ego autem de hac tribulationis schola, majus aliquid præsumendum, & neque rudes, & rudentes asinos à consequendâ Doctoratûs laureâ excludendos censeo. Quod demonstrare solidè non diffido, dummodo patientes dicenti aures præbere non gravemini.

Stratâ asinâ suâ ad Balac Moa-

bitarum Regem profecturus Num. 22. Balaam, obujum habuit in via v. 21. Angelum Domini evaginato gladio comminantem, quem *Asina Balaam.* asina terrefacta tertio declinavit, donec inter angustias comprehensa, evitandi non amplius haberet facultatem. Interim misellâ à Balaam durissimè fuste tractatâ asinâ os dominus aperuit, & locuta est: Quid feci tibi? Cur percutis me ecce iam tertio? Nihil insolitâ asini loquelâ commotus Propheta ille perversus, respondit: quia commersisti, & illusisti mihi: Vinam habere rem gladium, ut te percuterem. Dixit asina: Nunquid animal tuum sum; cui semper sedere consuevi usque in præsentem diem? Dic quid simile unquam fecerim tibi? At ille, etiamnum rei novitate nihilo eruditior, ait: Nunquam. Protinus post multa pauperculæ asinæ verba & verbera aperti sunt oculi Balaam, ut evaginato gladio ante se cernens Angelum, hunc in terram prostratus adoraret. Ecce hic asinam Prophetâ eruditior.

IX. Observat in hunc locum magnus ille Gregorius, asina retardata Angelum videt, quem Balaam necdum videbat. Quis autem Balaam, nisi spiritus, & anima, quæ tanquam eques refranando insidet corpori, seu carni, tanquam asinæ? sed contingit subinde, quod stupidus *Asina Cæsar.* *Balaam.*

Ee 2



Balaam, spiritus, vel mens humana minitans Angelum, aut Deum non videt, quem tamen caro verberata sentit, & quasi videt, quia plerumque caro (ait Gregorius) tarda, per molestias flagello suo menti indicat Deum, quam mens ipsa, carni præcedens, non videbat.

*Equus spiritus,*

*Asina, caro afflicta videtur incipit,*

*Et movent spiritum.*

Disciplina subinde, & doctrina capax est asina caro, quam ipse spiritus, quia plerumque caro, prima in tribulationis schola exercetur, & licet asinino affixa scamno, tamen prior eruditionis influxu, quia & prior disciplina virgam sentit; hinc est, quod misera asina, caro seu corpus, infirmitatibus, fame, pressuris & angustiis exercitata, prima castigantis Dei manum sentiens, ad cælum attollit oculos, vocem, & manus, & disciplinam tribulationis erudita, clamore suo, etiam aures & oculos mentis recludit, que castigantem Dei manum, agnoscat, agnoscentes erudiat, erudita sese emendet, & emendata de vitiis, protinus de virtute in virtutem cum spiritu

procedat. *Misit ignem in ossibus, meis, & erudit me.*

Ecce quomodo in hac tribulationis Academia etiam asina & bestia graduatur, & erudiantur: Et bestia terre, pacifica erunt tibi. Bestia (ait Glossa ordinaria) sunt motus carnis, quibus continentia, quasi cavea præest; & si tentando rugiunt, non tamen ad effectum, quasi ad rabiem morsus excedunt, in quo sunt pacifica. Imò in schola tribulationis hi bestiales modus etiam taliter quandoque exercentur, ut ne rugitus quidem amplius audiat. Cum ergo tam utilis, & perfecta sit tribulationis schola, in eam a Deo introduci, & exerceri non gravemur, ut in ea plenè eruditi, & nostras miseras, & Dei excellentiam cognoscere valeamus, & gaudeamus nos (ut S. Thomæ Villanova verbis utar) *ex peccatoribus in studiosos suffe permutatos*, qui sufficienter disciplinam eruditi mereamur *ascensum in cœlestem Jerusalem, ibi donandi præmio, & laurea cœlestis gloriæ,*  
Amen.

*Job. 5. 7. 23.*

*Gloss. ord.*

*Asinino*

